



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 284. Ecce præcedet vos in Galilæam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

versatione circa has debiles & anxietate aliàs plenas mulierculas. Ecce quomodo eas allicit, vocat & instruit pro gloria tua: Ita, Ita, obsecro sim constitutus Domine in via hac qua ambulo ut omnibus sim benevolus omnes instruere intendam cum omni humanitate ad fidem tuam, virtutesque sectandas.

§. 283. *Et cito euntes dicite discipulis eius quia surrexit.*

Exponit Angelus ulterius legationem suam quare sit missus è cælo ad eas, postquam eas solatio ex nuntio sancto recreasset & non timendum monstrassetque ipsis sepulchrum & signa resurrectionis docuisset, nimirum ut diceret eisdem, ut ex parte Dei & Iesu pergerent cum festinatione & quæ vidissent & audissent annuntiarent discipulis. Iesu, qui circa resurrectionem anxij & dubij hærebant, ne quis eorum in maius peccatum laberetur incredulitatis, & deficeret à Iesu Domino & Magistro suo, ideoque mandavit ipsis ut cito euntes discipulis annuntiarent, ô gaudium ô lætum nuntium ab Angelo Dei audire Christi resurrectionem, & liberasse per consequens nos perditos à diabolica potestate.

**D**omine mitte quoque mihi Angelum tuum sanctum qui me & omnes errantes in veritate doceat, quid faciendum, quidve fugiendum, ut mereamur credentes salvi fieri, & videre quandoque Dominum nostrum gloriosum in cælis.

§. 284. *Ecce præcedet vos in Galilaam.*

Pergit continuo Angelus eas docere & suggerere verba ipsa, quibus loqui debeant, nimirum præcedet vos in Galilæam, unde etiam utitur verbo, Ecce, quasi dicat quod jam jam Christus eat in Galilæam, ut se visibilem præbeat, ideoque oporteat festinare, ut eum videre ibi possent gloriosum.

**O** quis non cureret ad tanti tamque Sancti hortamenta ut Christum videre possimus, calcaribus opus non fuit sanctis, mihi vero opus sunt languido in quærendo Domino meo, Ecce dies mei transeunt, horæ labuntur, & menses prætereunt, video me currere ad mortem celerius quam putem, & hinc transmigrandum, & quidem cito, & tamen non magis moveor ad te quærendum Domine! quis mihi addet calcavia nisi tu Deus meus, Ergo ad te me recipio, à te flagito auxilium & gratiam, ut antequam migrem ex hoc mundo nequam, te quæram sincerius, ad te curram, & viam mandatorum tuorum ita, ut te invenire valeam.

§. 285.